

40.

Q. D. B. V.
De

Peccatis & Poenis Brutorum,

ad Genes. IX. v. 5. comma prius,

Wer Mensch Blut vergeusset / des
Blut soll auch durch Menschen
vergossen werden /

disputatio

SUB PRÆSIDIO

Viri Summe Reverendi atque Magnifici

DN. JO. FRIDERICI MAYERI,

Doctoris & Professoris Theologi, Alumn. Elect. Ephori,
& Templi omnium Sanctorum Præpositi Substituti,

Domini Patroni sui devenerandi,
Respondent,

M. CHRISTIANUS ANDREAS SIBERUS,

IN AUDITORIO MAJORI,

D. XII. JANUARII, M D C LXXXVI.

RECUSA WITTENBERGÆ,
LITERIS JOHANNIS GODOFREDI MEYERI,
ANNO 1717.

(4)

⁺
Pocesis & Poetis

Poetorum

Dogmatis & Poetorum

Deinde dogmatis & poetorum

Deinde dogmatis & poetorum

Deinde dogmatis & poetorum

DN IO FRIEDRIC MAYERI

Dogmatis & Poetorum

Deinde dogmatis & poetorum

Deinde dogmatis & poetorum


W CHRISTIANUS ANDREAS SUDERUS

In APOLOGIA MAYERI

Deinde dogmatis & poetorum

FRIEDR JOHANNES GOETTERDI MAYERI

Deinde dogmatis & poetorum



I. N. J.

De
Peccatis & Pœnis
Brutorum,

Dissertatio Theologico-Moralis
ad Gen. IX. v. 5. commaprius,

CAPUT I.

SUMMARIA.

Occasio effati. De sanguine petito Thoma Bartholini & Curratii sententia. Ordo dissertationis. ¶ In particula non hoc loco causalis contra Pererium, & Bonfrerium, nec adversativa contra Burgensem. Explicatur e Kimchio. Coccejus notatur. Duplex Synocdochæ animadversitur. Autoritas Beza & Budai. Gatakerus in subsidium vocatur, טר verbum forense e Seldeno. טר ad bestias restringitur. Samavitanus Codex notatur. טר quodvis instrumentum designat e Glassio. Discidetur a Bochorio. ל explicatur e Noldio.

A 2

§. I.

§. I.



Agnūm certe ac memorabile bonitatis divinæ specimen extitit, qvod fatali diluvio genere humano deleto, tantum unius mortalis pietati ac integri moris rectitudini dederit, ut ipsi parcens, pœnæ modum fecerit, & ex ingenti prope totius mundi naufragio incolument ipsum cum suis servaverit. Erenim cum paulatim aquæ recessissent, rediissentque in priora litora maria, & priores ripas repetiissent flumina, emergentibus terris, reductaque priori serenitate ac commoda cœli temperie, prodierunt iussu Numinis ex arca, exsoluti metu ac liberi homines fatentes divina tantum ope ex internectione & deploranda strage sese servatos. Antequam vero ad terræ cultum se verterent, victumque & legumina, quæ vitæ sufficerent, agricultura & dura opera quærerent, promisso & feedere divino confirmabantur. Benignissimum nempe Numen consultorum necessitatibus humanæ & indigentia, liberali mandato usum omnium, quæ terrarum pariter ac aquarum tractus possident, animalium concessit, utque horum carnibus, fame pressi, pellibus in tegumenta corporis & arcendas frigoris injurias, fruerentur, benigne permisit. Ut vero societas humana sanctiori vinculo constaret, neve alter in alterum, qvod pessimo exemplo in anteacti mundi primordiis acciderat, violenter grassaretur, ac fratris sangvine manus pollueret, severa lege ac gra-

gravissimarum poenarum minis prohibuit ac interdixit
 Neve animus ad deteriora pronus alias ac proclivis ex-
 ternis quoque irritamentis incitaretur, ac efferis trucu-
 lentisque motibus agitaretur subinde, sanguinem ani-
 malium in cibis tioluit, & stillantes recenti cruento arrus,
 ne ori admoveant, prohibuit. Quo quidem ego illud
 inficiari nolo, qvod *Thomas Bartolinus & Stephanus Cur-*
cellens autumani, Numen, ut sapientissimum auctorem
 naturae, voluisse & sanitati humanae prospicere, & ca-
 viisse lege, ne pascerentur sangvine, ne graves ac difficil-
 les morbos, cum quibus luctandum diu, feda sanguinis
 esca contraherent & in corpus sensim quoque a priori
 vigore recedens derivarent. De eo vero amplius du-
 bium esse non poterit, humanas cedes & profusum te-
 mere ac privato ausu mortalium sanguinem detestari
 Numen, adeo ut a brutis, quibus rationis usus non est,
 quæque nec in ius vocari propterea possunt, id impune
 fieri nolit *Genesios IX. v.5.*

וְאֵת זָרָמָכִי לְנַשְׁחָכִי אֶודֶשׁ מִזְרָחַ חַדְרָא וְרַשְׁבָּא

Versio vulgata:

*Sanguinem enim animalium vestrarum
 requiram de manu cunctarum bestiarum &c.*

Qvod dictum cum in illustri positum monumento
 sit, & eo securitati mortalium ac saluti provisum ac pro-
 spectum, visum mihi non sine ratione fuit, eo ingenium
 animaliumque dirigere immersusque utilissimis cogita-
 tionibus, quæ mens ac sententia in eo lateat, idoneis

6 DE PECCATIS ET POENIS

argumentis explorare. Mihi vero antea limites ponam, describamque orbitam, ex qua vagari non posim si vel maxime velim, & de quibusdam vocibus, postquam nonnulla c. I. docuero, sententiam quae maxime ad veritatem accedere videbitur, c. II amplectar, & quam inique nonnulla ac perperam inde ineptæ an injustæ causæ de peccatis Brutorum præsidium quererere velint, c. III ostendam. Qvod institutum lubricum ac perdifficile ut feliciter exequar, implorato precibus numerne auspicabor.

§. II.

Primo quidem in eo Interpretes hærent, quam significationem particula $\gamma\eta$ hic sibi adsciscat, cuius fluctuationis ratio ulla alia haud est, quam late patens ac varia acceptio. Evidem ii, quibus vulgata versio in pretio est, (cui calculum h. l. addunt LXX. senes, qui per se yæc exprimunt,) quod vimejus tueantur, causalem faciunt, ac si hoc commate prioris interdicti ratio ac causa pateat: quorum agmina ducunt Bonfrerius, & Peregrinus, qui eodem instituto, prolixiorum sensum intelligi debere audacius asserit, qui cum per præteritionem quandam omissus sit, nescio an pia ratione, id quod deficit, hunc in modum suppler: Nolo autem vos sanguinem humanum fundere, aut cibi, aut vindictæ, aut voluptatis, aut cujuscunque rei causa. Nam sanguinem vestrum requiram de manu omnis bestiæ. Verum si ea licentia mox inserendo, mox delendo aliquid interpretatione foret, nescio quid demum effingere liceret. Ultra virtutem certe Interpretis sacri egit, apud quem & verbo-

BRUTORUM.

7

verborum ordo mysterium esse debet; qvod & Bonfrenius tempestive agnovit; ac propterea qvoque nec in ipsius opinionem transit Paulus vero Burgensis & Cajetanus hanc particulam adversativam esse volunt, qvibus & Mathias Thoringus accedit, qvamvis diverso modo mentem suam exponant. Sed hæc applicationes apud nos valere haud plus possunt, qvam Vulgatae authoritas, cum ab eo proculdubio processit, qvi vix tenui Hebrææ lingvæ aura afflata fuit. Iraq; cum ad gravissimæ & nunquam labefactandam legem a temporaria & N. T. abrogata fieri progressus, sanctionis fundamentum ea vocula Spiritus S. voluit, ut summa, qvæ in est, certitudo liquido appareat. Qapropter & nos Pagnino, lunio & Tremellio & Piscatori non habemus contradicere, qvi per profecto reddunt, proculdubio a Kimchio edocti, qvi Seph. Heschbor p.16. hoc in negotio vocat אָמֶת רְכֵד לְאַמֶּת ach veritatis rei. Nulla ratione itaque in sententiam Cocceji, Lexico p.31. ire possumus, qvi per forsitan redi maluit, cum alias sensus constare non possit, aut dubius oriatur, qvod tamen & gravitas negotii yix permettere potest.

S. III.

Nunc exponendum venit, qvid per reposcere sanguinem intelligatur. Sangvinem per schema Hebræorum conseruadini usitatisimum cœdem naturæ Beza ad Matth. XXVII, 25. observavit, qvod dicendi genus & apud Græcos occurrere ex lectione probatorum auctorum satis pater. Εὐγένειαν τὸ αἷμα, ut LXX. exprimunt, idem est ac phrasis qua utitur Johannes Apocalyp. VI. 10. iudicium τὸ αἷμα, qvod idem est cœdem alicujus vindicare,

&



DE PECCATIS ET POENIS

& cum diendineā incidit, qvod pari significatione s̄apius in Pandectis Græcis legi afferit. *Guil. Buday Comment.* Græc. lingvæ p.m. 124. Et Hebræum, qvod in fontibus reperitur ψ̄ρι de inquisitione qvæ in forensi judicio fit, pari modo explicat *Job. Seldenus* l.IV. de l. Nat. & Gent. c.l.p. 475. Patria facit verbum ψ̄ρι. *Reg. XX.* v. 16. qvod est cum conatu & studio qværere, ut observat *Job. Lovinus ad Psal. IX.* 13. *Ps. XXXVII.* 13. Nec inficior factam h.l. translationem ab ea consuetudine, qva proximus consanguineus & necessarius occisi persequebatur occisorem, atqve supplicium de eo sumebat, qvi in sacra lege חַדְשָׁתִי נָא vocabatur, cuique integrum erat, citra cognitionem forensē mortem inferre reo, & manibus occisi propinqvi cōde percussoris parentari *Selden.* l.c. Animæ vero hic totum hominem, per tropum qvem synecdochen. Rhetores vocant, notant. Qvod freqvens est & s̄apius apud Hebræos occurrit, ut *Gen. XLVII.* v. 26. *Levit.* II. v. 1. *Psal. XVI.* v. 10. Vid. *Drusias Præterit.* lib. II. p. 74. LXX. non inquirent aut qvod abhorret a Græcæ lingvæ integritate expresserunt per αριτιν φυχῶν ἡμῶν. Nam & profani autores hæc dicendi modo usi sunt ut *Theocritus Idyll.* 16. v. 24. οὐλα τα μὲν φυχῆν τὰ δὲ ναὶ των δύναται αἰοδῶν. Et Euripides in *Helena* & Homerus *Iliad.* φυχάς πολλά τε homines occubuisse tradit. Ut Latinos præter Ciceronem præteream, qvi l. 14. *Epist. fam.* 14. dicit: Vos meæ charissimæ animæ qvam lèpisime ad me scribere. Vid. *Thom. Gatakerus*, de stylo N. T. c. X. p. 103. Qvod si nunc sine troporum colore rem expendere, & simplicem sensus indolem referre velimus, erit: & certe cœdem hominum vestrorum vindicabo.

s. IV.

BRUTORUM.

s. IV.

Id vero præterea ambiguum est, an per ἄριθμον omne vivens, ut *Samaria* nus Interpres reddidit, intelligendum adeoque idem valeat Græcum ζῷον aut οὐκ ζῷον, cum animali vita sit propria, & jam homines pariter ac bestiæ in censem veniant. Erenim Hebræor. sapientes animalium genus Græcorum more dividunt in λογικον & vocant ζῷον, animal loquens, quale qvidem præter hominem nullum est, & αλογον qvod פָּעֵר animal brutum dicunt, qvodque in sacro codice Psalm. XXXVI. כְּחַמָּה vocatur. Vid. *Bochartus Hierozoic.* I. I. c. I. Nos qvidem jam LXX. senibus calculum addimus, qui per τὸν Θηρίον explicant, ut adeo homini opponatur, qvoniam in hoc ipso verso seqventi commate hominis mentio fit, qvisi per ζῷον qvoqve intelligeretur, proculdubio battologia foret, & cum tædio conjuncta inanis repetitio.

s. V.

Consulatio nunc est an ΖΩΝ, proprie exponendum sit, an ut redundans negligendum, ut tantum præpositio a vel ab intelligatur, si Cl. *Bochartus* hunc locum exponendum suscepisset, haud dubito qvin verbum verbo reddendum censueret, utpote qvic. I. Sam. XVII. v. 37. Dominus qui me eripuit e manu leonis & e manu Ursi. & Dan. VI. v. 27. liberavit Danielem e manu ΖΩΝ leonum omnem redundantiam excludit, & propriissime sumi cupit, contenditqve anteriores leonis pedes, qvibus potissimum discerpit, dum posterioribus nititur, vere & proprie dici manus, qvod & ex Arabum monumen-

B

tis

DE PECCATIS ET POENIS

tis comprabat, eque Græcorum scriptis magno ardore
animi evincere nititur. Adducit qvod Oppianus l. III.
Cynegori^{νῶν}, leonem ~~τελετὴν~~ υπὸ χείρα gestare prom-
ptam torpedinem, qva omnia solvat ferarum genera,
hyenam vero pari virtute præditam ^{in τῇ ἀμυνταῖς χειρὶ} ex
Ælian. VI. Hist. Animal. c. 14. Aristorelem vero pe-
des leonis ~~πενταδάκτυλος~~ vocare in eo libro quo animali-
um, qvorum indagationem Alexander M. jussit & im-
pensis juvit, naturas certius & perfectius commentatus
est. Hierozoic. l. III. de Natura Leonum. Multo magis
manus tribuit ursis, cum præter Aristot. l. 2. c. I. Oppia-
num l. III. v. 144. l. IV. Plutarchum de causis naturali-
busq; qv. 22. Alcazuinum Arabem Pliniumq; in censum
vocat, qui l. VIII. c. 36. dicit: Ursos urgente vi, sese præ-
cipitaturos ex aliqua rupe manibus caput operire. Te-
meritatis foret cum tanto viro miscere pugnas, cuius
notitiam exterarum lingvarum & amplissimas doctrin-
narum opes orbis admiratur; liceat tamen vel ideo
in contrarias abire partes, qvod a poetis plerumque per
abusum a ceteris per similitudinem ac metaphoram
dicantur, partim qvod pleraque bestiae, non adeo ex-
tensis ungibus prædictæ sint, qvae digitorum loco esse
possunt. Accedit, qvod eo vocabulo Hebræi libentius u-
tantur, ut qvodvis instrumentum, per qvod aliquid per-
patratum est, imuant. Vid. Clasius Philol. l. III. Tr. 1.
can. 38. Qvod nemini dubium ambiguumque videri
potest, si expenderit, & e manu sepulchri, i.e. a sepulchro
Deum suos redempturum Hos. XIII. 14. capreas e manu
laquei effugere Prov. VI. v. 5. Et Messiam ardentissi-
mis preciis supplicare numen, ut e manu canis i. e. a
cane

BRUTORUM.

II

cane liberet unicam i.e. dilectissimam. Psalm. XXII. v.
21. At canes non pedibus anterioribus discerpunt, in quo
tamen ratio Bocharti est, qvod manus ideo tri-
bui debeat.

S. VI.

Id demum nunc addam vocem ܐ h̄oc loco non
distributive sumi, sed secundum substratam materiam
intelligendam esse, adeo ut jam ab omnibus bestiis De-
us sanguinem requirere velit, iis nempe qui cœde hu-
mana victimam querant ut :

Armeniæ tigres, iracundiæ leonis.

Ut Psalmo CXLV. 14. sustentat Jehova omnes
cadentes. Puta omnes, quorum oculi fide ad Deum
sunt intenti, alias etiam impios præcipitatos sustentarer,
Multæ exempla suppeditabit Noldius Concord. Par-
tic. Hebr. p. 419. Qui usum hujus particulae
justis interpretandi mediis accersitis
exposit.

B. 2. 1. 1. 1. CAP.

CAPUT II.

SUMMARIÆ.

Sententia de sensu delicti. Beresbit Rabba de quatnor bestiis Danielis & Abaranel refutatur. Ludovicus de Dieu notatur. B. Salomo accommodatur. Qui populi homines bestiis obiecierint. Faber JCtus laudatur. Parum Theodorei & Irenai sententia minus commoda. Piscator rejicitur. Praesepia Noachidarum sex obligant homines, non bestiar. Pana an sine culpa esse possit disquiritur. Grotius & Soarius moratur. Premium & pana non cadit in brusa, contra Kimchium. Exceptio de quasi delicto & quasi pana. Damnum hoc loco unice spectatur.

§. I.

Diffusum vero & involutum multorum auctorum sententiis hoc argumentum est, quod nunc juvat aggredi, & ex diversitate opinionem, verior quæ videbatur, eligere. Videamus autem quænam mens super hac re veterum Judæorum fuerit. Nonnulli, dum cum difficultatibus, quæ se postea obſcient nobis, colluctandum habent, figuratum sensum eligunt, atque bestias de **תְּמִלְכָוֹת** seu quatuor Imperiis in Daniele designatis capiunt, perinde ac si Nurnen ibi vindictam cœdibus etiam ab Imperatoribus per tyrannidem postmodum patrandis tum minitaretur. In Beresbit. Rabba Parafsch. 34. fol. 38. Sed cum haec verba ad eam legem referantur, quæ mortalibus id, quo accède humana abstineant, in gerere debet, vix verisimile est, locum hic rei multis temporum spatiis post futuræ esse. Et multo minus audiendi

BRUTORUM.

83

diendi, qvi bestiam per vivens exponunt, ut tantum per restrictionem vivens rationale intelligatur, qvod connexio textus non admittit, ut priori capite §.4. diximus.

S. II.

Acuta porro est expositio *Isaaci Abarbanelis in Pi-*
rusch Torah, fol. 46. cuius mens ut intelligarur, liceat verba ipsius exponere ex *Seldeni* versione; Et si forte putaveritis (sic Numen, ad loci explicationem loqui singulare) hominem deesse posse, nec in orbe terrarum repertum iri, qvi in homicidam sententiam ferat, scitote plurimis modis posse me vindictam sumere. Ideoqve si desit homo qvi occisi sanguinem ulciscatur, a manu omnis bestie, seu ab omni bestia requiram eam, veluti a bestia, qvæ dilaceraret homicidium. Et sic in eum sententiam exequar. Ubivero fuerit homo, requiram ab ejus manu sanguinem occisi, seu vindictam tanti sceleris. Nititur itaque ejus sententia in expositione particulae qvam per significare vult; ut sensus sit vindicabo cœdem ita ut bestie instrumenta vindictæ sint. Sed veniam procul dubio dabit nobis, si dixerimus nullibi in SS. literis hoc sensu particulam reperiri, qvod enim apud *Ez. L. II.* occurrit, commode exponi potest, a me factum hoc vobis, ut adeo præter necessitatem non novus usum cum *Ludovico de Dieu* excogitandus sit, ut serio interpres præcipiunt. vid. *Franz de interpret.*

S. III.

R. Salomo vero eum sensum, qvi felicissime ex verbis e-
B 3 lici

lici potest sequitur, cuius glossa ea est: Id qvod legitura
 manu omnis bestia / seu ab omni bestia sangvinem ho-
 minis reqviram ideo adjicitur, quia apud homines, qui
 ante diluvium vixerunt, per imperatorem mos invaluer-
 rat bestias nocentissimas nutriendi, ut scilicet earum
 auxilio commodius dominarentur. Eam ob causam
 necessarium erat, ut de animalibus (in usum ejusmodi
 nutritis) moneretur. Atque illud amplectitur qvodve
Grotius in Notis ad hunc locum. Nec foret, ut illud adeo
 rejiceremus, nisi adhuc valde dubium esset, probatione-
 que egeret, quæ qvidem difficillima videtur, ante dilu-
 vium qvosdam homines in cæteros dominatum. & im-
 perium quæsivisse, utqve adipiscerentur, bestias carni-
 voras inter dominat⁹ instrumenta aluisse. Neque enim
 omnium Gentium monumenta si pervolvimus, tantæ
 crudelitatis vestigia in antiquitate deprehendere possu-
 mus, nisi qvod apud Persas Daniel, leonibus objectus
 & inaudito prodigo illæsus ab illorum fauibus serva-
 tus *Dan. VI. v. 22.* Et credo Romanorum civilem Gen-
 tem cruentis istis spectaculis non voluptatem oculo-
 rum capturam, nisi cædem suorum poena talionis vin-
 dicare, justum visum fuisset, siqvidem Amilcar Cartha-
 ginensum Dux captivos ad se adductos *υπεβάλε τοῖς θη-*
pιοις, ut *Poly. I. i.* auctor est. Inde Africanus alter everso
 inviso Pœnorum imperio, exterarum gentium trans-
 fugas editis populo spectaculis, bestiis objiciebat, qvod
 & L. Paulus Perse Rege victo faciebat. Acid Genus
 mortis pro summo ac ignominioso suppicio habitum.
 Multum exactus in his, edifferendis est *Petrus Faber*
Semestrium l. I. c. 18. l. II. c. 7.

§. V.

§. IV.

In diversas longe partes abeunt veteres Ecclesiae Doctores, qui argumentum sumunt inde futuræ resurrectionis, & restaurandorum integre hominum auspiciū capiunt, adeo qvæ sibi persuasum habent, Deum ideo cœdes interdicere quod aliquando omnes homines pristino spiritu animatos resuscitare, &c. bestiis terrestribus, sive marinis devoratos reqvirere e visceribus & medullis veluti eorum revocare velit. Neq; enim alia ratione intelligere Theodoretum possumus, qui ut *Johannes Picus* interpretatur T. I. Opr. Edit. *Sirmondi* qvæst. in *Genesim* qvæst. LIV. inquit. Propterea &c. hoc loco dicit, veruptam carnem cum sanguine non comedetis &c. Hic insinuat Resurrectionem, non quod bestias vocaturns sit in judicium, & de his supplicium sumturus, eo quod homines devoraverunt, sed ut congregatus corpora ab ipsis consumta, & illa resuscitatus. In manu enim ejus sunt omnes fines terra Psalm. 94. vers. 2. Est illi facile undecunque corpus nostrum congregare. Et hic quidem istud indicat sub obscure &c. Et quamvis haec satis pie meditatus sit facer Antistes, non tamen credo id a Deo innui, propterea quoque recte a Gerardo Comment. in h. l. repudiatur. *Irenam* vero lib. V. adversus Hæretes cap. XIV. postquam multa disseruit, quemadmodum sanguis Abelis clamaverit Gen. IV. 10. quod Numen sanguinem animalium de manu bestiarum, requirere velit, quod sanguis justi ab Abele usque ad sanguinem Zachariæ Matth. XXIII. 35. vindicari debeat, concludit: Non autem exquireretur si hoc, nisi & salvare haberet &c. ut adeo ipsius sententia sit,

15 DE PECCATIS ET POENIS

sit, hoc loco de salute hominum, cuius particeps corpus quoque humanum debeat esse, testimonium exhiberi. Non quidem inficiandi locus est, magno pretio esse hominis sanguinem, ut qui imago quondam Dei, & portio Ecclesiae, inde tamen certo certius concludi posse hominem salvari id minime concedendum puto, quia alias omnes, quorum sanguinem Deus requirere vult, fierent vitae æternæ compotes.

S. V.

Nos eam sententiam amplectimur quam *Rabbi Salomon* & alii Hebraeorum magistri suam faciunt, & plerique Christianæ doctrinæ Interpretes sequuntur, nempe Deum omnem bestiam, quæ sanguinem humanum effunderunt, hominem nempe occidendo, puniturum, seu ordinarie per magistratum, de quo legem tulit in Levitico, seu extraordinarie aliis modis, prout Hebrei de pena cœlitus infligenda locum capiunt. *R. Bechai Beresbit* fol. 10. quod cum nostrum facimus, at molimur statim *Piscatoris* h.l. commentationem, qui hic locutionem catachresticam statuit. Quod quam hic non conveniat, cum omnis Metaphora absit, adeoque nec durior adesse possit, ex Rhetorum libellis patet. Præterea, nefas quodammodo est insolenti huic tropo ac mendacio simillimo in sacris literis, inquit, materia gravi locum facere.

S. VI.

Id vero est, quod jam nos exercet, cur nempe bratum rationis expers ob commissum homicidium puniendum

BRUTORUM.

17

endum veniat, qvod anteqvam expediamus edifferendum prius, numne ea verba, qvæ nobis exponenda injuximus, partem legis faciant, & qvem obligationis vinculo obstringant, qvod a præsentri negotio, & ad indagandam eo expeditius veritatem, nemini videri potest alienum. Illud itaqve observandum, qvod qvando hominis conditio non ferret, ut sine lege viveret, actionesque suas vago velut impetu, & citra respectum ad aliquid normam ederet Deum communissima regula, ad qvam qvilibet homo se componere teneat, prospicisse. Atqve illa generalis regula, Lex Noachidarum, seu mandatum filiorum Noæ vocatur, & septem capitibus absolvitur, ubi vero septima non omnes obstringit. Nempe (1) de cultu extraœo f. Idojolatria, (2) de benedictione nominis divini (3) de judicibus (4) de effusione sanguinis (5) de incestu (6) de rapina (7) de membro animalis vivi non comedendo. Qvæ omnia fundantur in Talmudis Babylonici *Gemara Maffer Sanbedrin*, fol. LVI. col. 1. unde Maimonides quoque excerpit, & videri possum in *Coccejo Excerptis Gemara p. 258.* & *Schikkardum de Jur. Reg. cap. V. Theor. XVII.* qvanzqvam & ante Talmudis confarcinationem R. Jose ben Chilpera Praceptor *Jebude sancti*, auctoris *Mishna*, ea recentuerit *Seder Holam rabbæ* cap. V. fol. VI. col. 2. Pertinet itaqve ad præceptum quartum secundum recensionem R. Bechæi, vid. Max. Rev. Dn. D. Carpzon. Not. ad Schikkard. p. 335. Secundum *Seldenum* vero I. N. & Gent. l. I. c. 10. ad tertium. Etsi ullum ex his Noachidarum præceptis firmissimo fundamento nititur, altissimo eductum est quartum illud, nempe verbis isti, in qvibus explicandis, occupatus sumus.

C

§. VII.

Hæc itaque lex obligationem suam in animis hominum debet exercere, si & cognitionem legislatoris & ipsius legis habent, quæ cognitio, per promulgationem a legislatore factam acquiritur. Nam, promulgatio, ut Molina de Jult. & Jur. tom. VI. tract. V. disp. 7o. scribit, non est solum conditio, sine qua lex non obligat, si-
cut applicatio ignis ad stupam est conditio, sine qua vis
ignis naturalis, quam jam ante ignis ante eam applica-
tionem integrum in se habet, stupam non inflammabit,
sed est quidpiam legis completivum, atque adeo com-
pletivum vis seu virtutis legis ad subditos obligandum.
Et Noachidis eam cognitionem ambiguam facere, no-
mo in animum inducere potest, siquidem per ipsum
Deum visibili specie, & humanæ vocis sonitu assimula-
to v.l. innotuit, judæis vero pari modo, solemnii promul-
gatione in monte Sinai, Exod. XX. & per sanctissimos
viros diviniori instinctu animatos; Ceteris gentibus
vero non ignota esse poruit, quod per naturalem ratio-
nem principio connato patuit & ex contemplatione
mortalis conditionis erui poruit, Rom. I. v. 20. sive jam
voces illud signum significativum, cum Biele & Gersone
de potestate Ecclef. confid. XIII. evadet fuisse Noachi-
dis vocale, Judæis vocale & scriptum, seu prolatum lite-
ris, ceteris gentibus mentale, quod fugiendum h. l. re-
presentat, nempe cœdem humanam, & inde illicitum
innotescit. Cum vero brura nullum habeant intelle-
ctum, cui signum illud imprimi possit (nec enim omni-
bus imprimi adaptatum est, sed soli creaturæ rationali)
apparer,

BRUTORUM.

19

apparet, solos & omnes homines ad hanc legem obligari. Et hoc habet peculiare rationale creatum, qvod ita subjaceat divinæ providentia, ut subiectum legis divinæ & æternæ velit esse. *S. Thomas* 1.2. qvæst. 51. art. 2. *Vasquez* h. l. Nec possunt ideo bruta obligari, qvia ratione parent, Lex autem est opus rationis. Neqve dicitur lex naturalis in homine, qvod per eam homo qvodam naturæ imperuad actiones naturales feratur, ut bruta, sed qvin per naturæ lumen ipsius menti impressum, moveatur ad honeste agendum. *Petrus a S. Joseph.* Theol. moral. cap. II. resolut. 2. Atqve omne illud accommodandum, qvod de Subjecto legis moralis Doctores orthodoxi professi sunt, qvod nempe ad istud sola Creatura rationalis pertineat, ne Angelis qvidem a *Philippo Melanchtonem* exclusis, qvoniam ad imaginem Dei conditis, per creationem lex qvædam inscripta. *D. Qvenstedt Syst. Theol.* P. III. de lege morali. Et propterea ad continuationem obedientia & dilectionis præstandæ obligantur. Id vero patet, qvod Dæmones appetitu excellentiæ sibi non debitæ, contra legem supernaturem peccarunt, & qvotidie contra legem naturalem peccant. *Vasquez* in I. 2. *Thom.* disp. 231. n. 21. sed de præsenti lege illud qvidem non valet, ad qvam solus & omnis homo obligatur, qvippe Noachides tunc erant Genus humanum repræsentatarum, ut adeo omnes omnino homines suffragium tacitum qvoad obligationem eorum, qvæ statuerunt, tulisse censeri debeant, qvod suffragium, & consensum implicitum vocare possit, qvatenus qvi in aliquis imperium consentiunt, eo ipso in omnes actus ejus imperii consensisse intelliguntur.

C 2

§. VIII.

§. VIII.

Est porro hæc paralegis pœnalis siquidem DEUS homicidium punire & in bestiis vult, qvod ex Exod. XXI. 28 intelligi potest. Jam vero cum bruta lege obligari non possint, & propterea nec declinent a regula, propterea que nulla nec imputativitas nec imputatio locum habeat, nec poena promulgari jure potest, nec si promulgata bestiæ ad eam obligari possunt, videndum itaque numne poena accurate possit dici, supplicium a bestia homicidia sumtum, inqvirendumque quid poena sit, *Hugo Grotius* I. II. de jure B. & P. cap. XX. n. I. pœnam dicit esse malum passionis, qvod infligitur ob malum actionis, & quidem pœnam generali significatu sumtum qvod & amplectitur *Dn. Pufendorff* J. N. & Gentium I. 8. c. 3. n. 4. Est autem qvod de eo dubitare possumus. Non omnem enim pœnam esse malum passionis, si hac voce physica passio intelligatur, experientia edocemur, qvandoquidem multis in pœnam injungi videmus actiones, tum boni unius vel plurium privationem, nullam cum physica passione conjunctam. Atq; hinc malo passionis accedunt insuper duo, qvæ pœnæ esse possunt, malum actionis, & malum privationis. Dein vero in Vulg9 constat pœnas etiam irrogari ob malum omissionis, qvod appellam9, cum qvis non agit, qvod lex iubet. Nam & ejusmodi omissione, qvia legi aversatur, haud dubie delictum est, & pœnam promeretur, sed qvicquid sit, satis constat, inde nobis præsidium non esse, qvippe cum bruti, qvod hominem occidit, cœdes poena non possit esse, qvia culpa abest. *Soarius* quidem lib. V. de legibus

legibus c. IV. aliud quid suppeditat, qvod coloris instar esse possit, dicit enim poenam esse omnem afflictionem, quæ sit per modum coactionis, ut lex aliqua servetur. Congruunt hic omnia membra; cœdes bruti est afflictio quæ sit per modum coactionis, quia & bruta renuant mori.

*Fugit nam sauciis aras
Taurus, & incertam excusit cervice securim.*

Fit, ut lex non inviolandæ vitæ humanæ servetur. Sed cui vis patet, sumi hæc, non probari. Neque desunt instantiæ, quibus id infringi possit. Multa enim naturæ incommoda, multæque afflictiones præter voluntarem alicui obtingunt, & vi, seu coactu alterius sufferendæ incumbunt, quibus poenæ rationem & appellationem, si culpa absit, nemo facile tribuerit. Valeat itaque quoque *Sorarius*, si enim in arcem rei penetramus, duo in formaliter conceptu poenæ includi videmus, materiale unum, alterum formale: materiale si spectes, est malum aliquod, ex quo, qui punitur, molestiam capit, sive quia bono uno vel pluribus privatur, quam poenam damni appellant, sive quia doloribus afficitur, coactus aliquid agere vel pati, qvod sensibus ingratum, quam poenam sensi vocant, sive quia utrumq; patitur. Formale autem, propter qvod ejusmodi malum poenæ rationem & appellationem sibi vendicat, est meritum admissa culpa contractum: quo non dato, nihil poenæ rationem habet, ut ut alias malum sit, & valde molestum ei, qui sustinet. Jam poena erit malum, qvod qui culpam admisit, propter cul-

22 DE PECCATIS ET POENIS

pam incurrit. Id vero non ad bruta accommodari potest, nisi cum stolidissimis Judæis qvib9dam facere qvis velit, cum clarus inter ipsas Interpres Kimchius ad I. Reg. XIII. v.24. cum asino consortium faciat dum dicit: *Asino quoque sua fuit in hoc mundo retributio, in honorem Prophetæ, qvilli inequitaverat: prout reliquis animalibus in hac vita vel merces, vel pana rependitur iis, qva hominem respiciunt.* Qvod idem pluribus ita explicat in Ps. CXLV. v. 17. *Alii dicunt, premia & poenas ad nullum animal pertinere, preterquam ad hominem solum. At nos dicimus, et iam reliquis animalibus rependi premia & poenas in negotio hominum.* Huc facit, qvod reperimus Gen. 9. v.5. de sanguine hominis etiam e manu omnis animalis requiram illum dicitur quoque Habacuc II. v.17. *Et vanitas bestiarum terribit eos.* Et ad mercedem pertinet, qvod habetur I. Reg. XIII. v.28. *Et leo non laceravit Asinum &c.* Itaque certum est poena stricte dicta bestias non affici.

§. IX.

Excipiunt quidem qvod de formalí pœnæ diximus, id pressé agile illo jure, qvod homo in hominem exercet, neqve extendi posse ad processum & velut formulam tribunalis divini, adeo, si bestiam ob homicidium occidamus, sive cœlitus puniatur, pœna vel quasi dici possit, cum admissum veluti delictum videri possit, contra illud, qvod DEUS dixit v. 2. terror vester sit super cuncta animalia, qvo aliquale dominium homini restituitur, debeatqve vereri hominem animalia timore industria expresso, speciosa quidem ea ratio est, & vi deretur hæc quasi pœna ad exemplarem posse referri,
qvæ

qvæ moneret, crimen esse longe gravissimum eos, qui libertatem arbitrii habent & iræ suæ dominari possunt & arctissimo qvodam vinculo inter se conjuncti sunt (qvorum nullum in brutum cadit) mutuis cœdibus sese conficere. Namque id afferunt, qvæ triplex argumentum, qvo ab homicidio Noachides absterrantur, hic exculpunt. Sed hæc multis difficultatibus obsepta sunt, qvapropter non in eam sententiam transire possumus.

S. X.

Dum itaque denique accurate distingvendum inter peccatum, delictum qvæ tale, & injuriam, qvam qvis infert civitatis socio, & damnum, qvatenus læsionem denotat, qvod solummodo de bestiis dici potest; non dubitamus jam adserere jure bestiam, qvoniam naturalis juris est, omne qvod damno esse potest, amoliri. Coedendo vero animal, qvi hominem lethaliter percussferat, & poterat imposterum alios pari ratione cœdere, vitæ & securitati hominum consulebatur. Fatentur propterea uno ore saniores interpretes, Testatus, Bonfrerius, & Pererius instrumenti rationem hic haberi. Non adducam jam qvæ Seldenus l. i. Jur. N. & Gent. c. 5. Pufendorff. l. 2. c. ex Atheniensium & Romanorum sententiis annotarunt, id tamen addam, qvod in atrocioribus delictis, quale homicidium est, instrumenta, & quasi adjuncta in detestationem Supplicio quasi affici videantur. Novimus ex historia Belgica Albanum jus sisse funditus excindi Caleburgii Comitis ædes, Gheuſii qvondam nominis natalem domum: excitataqve ibi

bi marmorea columna inscribi in basi quatuor lingua-
rum monumentum. Ea in area ædes Florentii Pallan-
ti solo æqvatas esse, ob execrandam memoriam repe-
titia in illa conjurationis adversus religionem, Ecclesi-
am catholicam Romanam, Regiam Majestatem, ac
patrias Regiones, Famian. Strada Decad. I. l. 7. Sic
curia Parisiensis placito lata in Rayillarum sententia,
ut æqyetur solo domus, in qua ipse natus nunquam post-
hoc superinducendo areæ ædificio Grammond. I. I. p. 8.
Petrus Matthæus de chorte Henrici IV. p. 172. Nec ex
sacris Exempla desunt Gent. III. v. 14. & 17. Gen. IV. v.
12. Num. XVI. v. 32. Deut. XIII. 13. 17. Joh. VI. v. 17. I.
Reg. XV. v. 3. Accedit, qvod Deus plenum jus domi-
nii in omnes creaturas exercet, & in bestias obtinet, qvo
jure, non præcedente noxa ob homicidium puniri cu-
pit, nec enim omnis vindicta aut damnum statim
pena est, qvod ex doctrinam moralium
patet.

CAP. III.

CAPUT III.

SUMMARIÆ.

Peccata brutorum statuere videntur Ulpianus, Philosopphi quidam veteres, non hodierni. Rorarius, Darmanson, Sotini, Crellii, Vorstii doctrina. Origenes peccata Stellarum. Huetius contra Sextum Senensem. Origenes non sequitur Pythagoram in μεταψυχώσις. Serpenis maledictio scita. Calixtus noratus Gen. VI. v. 12. exponitur. Quorundam falsa interpretatio. Animalia munda & immunda. Hackijan laudatur.

§. I.

Pugnandum iam demum, sed brevi velitatione, cum iis, qui Subjectum quoque peccati brutum faciunt, quoniam ex præsenti etiam loco, sed intempestive, præsidium sibi fururum sperant. Non vero iam res nobis erit cum Ulpiani Juris definitione, quam Corasius & Tholosanus operose defendunt, cum & ali diversum sentiant, atque integrō J. F. Horn absona in apricum deduxerit.

§. II.

Contendunt porro inter se veteres sapientiae Doctores, cum facultatem æstimativam in brutis,

D respon-

respondere cogitativæ in homine , perhibent , tum
qui animam brutis inesse , ad ostendandam ingenii
vim affirmant , in qvibus non ultimus est Hiero-
nymus , Rorarius , qui animalia bruta ratione
melius uti homine afferit . Id vero inconveniens cor-
datis Philosophis videtur , qui anima destituta bru-
ta idoneis documentis & e natura ipsorum de promtis
evincunt ; nempe Le Grand , Willius , Bo-
relius , aliisque , præsertim J. Darmanfon in tra-
etatu la Beste transformee en machine , quem ap-
probavit quoque Facultas Theologica , Academ-
iae Franeckeranæ anno 1684.

s. III.

Sociniani vero hic classicum canunt ; qvorum
antesignatus lib. de statu primi hominis Cap. VI.
p. 157. seqv. inquit. Non solus homo , sed cetera
qvoque animalia a recta via deflexerunt . Addit
quidem bestias , non tam graviter , nec in iisdem
plerisque rebus delinqvere , in qvibus homo delin-
qvit , sed tamen vere delinqvere posse , non negan-
dum esse existimant . Infautæ itaque Socini sectæ,
ut pœnae propriæ dictæ , ita qvoque legis obligantis
capacia videntur bruta animalia . Ita Dn. D. Qven-
stedt System. I. c. Crellius contra Grotium p. 64. Vor-
tius bestias etiam suo qvodam modo peccare , & pœ-
nam sibi analogani mereri dicunt ; affirmant præter-
ea , qvod ipsis naturæ lex a Deo sit indita , cuius pro-

proinde violatio aliquam peccati analogiam habeat: qvod ideo disputant, ut peccatum & defectionem protoplastorum purgare & extenuare possint, qvod & facit Isaacus Peyrerius Syst. Theol. & Prae-damitas suos describit, qvi brutorum referentes in-dolem defecerunt materiae vitio, principio eorum-dum cum creaturis irrationalibus communi: Hinc monstrosi horum termini: Peccatum naturale, materiale, carnale emergunt talia quoque adscribit Lirano Lutherus h. l. & ipsi egregie respondet.

§. IV.

Anteqvam vero responsum damus ipsorum objectis, videndum numne ex antiquitate aliquem accersere possint, qvo tueri sententiam suam queant. Notum est Origenem sensisse stellas peccatis esse obnoxias, nec astra modo, sed elementa etiam, ac proinde Judicium Dei olim subitura fore, qvæ sententia consignata est, Homil. 4. in Ezech. cui-jus, licet saepius agere causam ac diluere objecta, & emollire opiniones velit, hoc tamen crimen purga-re non potest Petrus Daniel Huetius Origenianorum l. II. qvæst. 8. propterea quoque & Sextum Senensem ibi valide refellit. Origenes vero ut adser-tum eo melius adstruat, stellas probat esse anima-lia, qvod mandato a Deo dicantur accipere, man-dare autem ipsis Deum, ut statim moveantur tempori-bus, motus vero illos neque absolvii posse sine anima, neq; sine motu esse posse, qvæ anima prædicta sint: nec a-

nima solum , sed & ratione pollere , ac proinde incrementa capere sine dubio virtutis, vel decrementa: ad hæc animas antiquiores recentioribus . Syderum corporibus extrinsecus inseri probat aliquot rationibus . Illud certum foret , si in omnibus secutus fuisset . Origenes pythagoram , cuius vestigia sedulo legit , statuisse peccata brutorum necessum foret, sed cum magnum intersit dilicimen inter μέτρη ψυχών Pythagoricam , & μετασωμάτων Origenis , quod egregie commonstrat Huetius p. 102. non tribuenda est væcors & insana ea mens summa eruditione & ingenio florenti Origeni.

§. V.

Ideoque revertamur ad Socinianos , qui pro adstruenda sua sententia maledictionem Serpentis, quamvis forte possent Gen. III. 14. non adducant, utpote qui existimant Deum in serpente de priori incessu nihil mutasse , sed naturam convertisse in poenam , qvia non verisimile , Deum post lapsum mutasse animalium naturam vid D. Stegmännus Photinianismo Disput. IX. qvæst. 7. Et hoc statuendo accedunt iis , qui supplicium fictum serpentis statuunt, apud Joh. Conrad. Ditrich. Antique Bibl. fol. 92. atq; adeo propriæ sententiæ fraudem faciunt eamque infringunt. Videat vero Georgius Calixtus numne in eadem castra incidat , dum in Lubrificationibus ad cap. 3. Genes. dicit. Est quidem natu-

naturalis *avertit a deo* inter hominem & serpentem ,
haec autem in felici illo statu divina providentia & po-
tentia cohibebatur , ne in actum prodiret , nunc ,
qvando non amplius reprimitur , supplicium & pœ-
na est serpenti , ab homine utpote præstantissimo a-
nimatum , eorumque naturali Domino , inutilem ,
imo noxiū famulum censeri , & qvasi maleficum ,
cui aqua & igni interdictum sit proscribi . Optime
vero haec enodavit venerand . D. Galov . Bibl.
Illustrat h. l.

§. VI.

Validissimum qvod obtendunt est Gen. VI.
v.12. Et qvidem corruptionis istius rationem esse ,
qvod animalia qvædam incepert carnibus vesci ad-
eoqve discessisse a priori sua integritate , qvod egregie
tuetur Grotius ad Gen. l. v. 30. Non , inquit , ab initio
animantia animantibus vescabantur , sed tum demum
id ceptum fieri , cum non homines tantum , sed &
alia animantia viam suam corruerunt . Et ex ipsius
Glossa ad Gen. VI. v. 2. patet , ipsum distingvere
inter immunditiam ex lege Mosaica & naturalem .
Quid inde concludendum videant alii . Sed qvod im-
munditiam & munditiam animalium attinet , re-
spondemus cum Pererio , illud non dici secundum
naturam , sed vel opinione ut institutis hominum
vel alicujus excultæ significationis & mysterii causa .
Per corruptionem vero omnis carnis , non omnia

D 3

anima-

35 DE PECCATIS ET POENIS BRUTORUM.

animalia , adeoque bruta intelligipatet (1) qvia o-
mnis caro ad v. 3. respiciunt, ubi homo dictus erat caro
(2) Joel III. v. 1. dicitur etiam spiritus affundendus super
omnem carnem, & Marc. XVI. v. 15. omni creaturæ
prædicari Evangelium. (3) Tale est prædicatum hic
via, qvam corrupisse dicitur omnis caro, qvod per me-
taphoram de actionibus legem respicientibus, deque
intellecetu & voluntate propriæ dicta orientibus, non de
analogicis, aut umbra qvadam intellectus, sensibus in-
ternis atque appetitu sensitivo reluentibus dicitur. (4)
periere animantia qvævis in diluvio, exceptis iis, qvæ
arca servabat, non qvod diluvii fuerint causa, adeoque
pœnam etiam persolverint corruptæ viæ analogan,
qvam tamen non sustinuissent bestiæ reliquæ arcæ in-
clusæ, cum tamen secundum hypothesin immundæ
sustinere debuissent, sed qvod spectarent hominem, qui
cum omnibus, qvæ possidebar, delendus erat, cum par-
yulis adeo, & bestiæ, ut major damnum videretur, &
augeretur afflictio, ut recte censem Theodor Heckspan.
in difficil. locis S. Script. P. I. Qvando qvis itaque dicta
jam recte lance pensitaverit, videbit peccata bestiarum
& pœnas proprio & morali sensu sumtas, figmenta &
Iudibria ingenii esse, & dudum explosa a B. Nicolao
Hunnio Exam. Error Photin. Sect. 2. c. 3. Thes. 2. D.
Schmid. Disput. de lege morali Thes. 3. D. Calov. ad
Gen. VII. v. 2. D. Qvenstedt Syst. Theolog. P. III. de lege
moralis D. Strauch Breviar. Theol. loc. VIII. defin. LIII.
Jo. Henr. Heidegger. D. Selectis Theol. XXI. de lege p.
603. Bocharto Hierozoic. I. II. cap. 40. Qvibus annota-
tis, Deo laudes & gratias agentes huic labori termi-
num constituimus & FINEM.


01 A 6633



3

Sb.

DA





40.
Q. D. B. V.
De

Peccatis & Poenis Brutorum,

ad Genes. IX. v. 5. comma prius,

Wer Mensch Blut vergeusset / des
Blut soll auch durch Menschen
vergossen werden /

disputabit

SUB PRÆSIDIO

Viri Summe Reverendi atque Magnifici

DN. JO. FRIDERICI MAYERI,

Doctoris & Professoris Theologi, Alumn. Elect. Ephori,
& Templi omnium Sanctorum Præpositi Substituti,

*Domini Patroni sui devenerandi,
Respondent,*

M. CHRISTIANUS ANDREAS SIBERUS,

IN AUDITORIO MAJORI,

D. XII. JANUARII, M DC LXXXVI.

*RECUSA WITTENBERGÆ,
LITERIS JOHANNIS GODOFREDI MEYERI,
ANNO 1717.*

(4)